



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 5. In Lithuania.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

Admare Polonicum secundum Prussiam captus piscis qui cultu corporis Episcopum referebat. *Pius II. in sua Geographia.*

In Prussiâ, vastissima & tam patula quercus reperta est, ut eam fratres Teutonici erectis circum propugnaculis munierint, vbi & præsidium constituerunt, vt Prussos continerent. *Idem Pius II.*

§. 5. In Lithuania.

IN fluminibus Lithuaniae reperiuntur vermes ephemeri, & volatilia quaternis interdum, sœpe senis alis instructa; mane currunt super aquas, volant ad ripas sub meridiem, in occasu denique Solis extinguentur. *Paulus Louius, & iam eorum meminerat Aristoteles supra laudatus.*

Equi vescentes herbis quas alluit Borysthenes solent esse pluribus morbis obnoxij. *Michouius lib. 1. cap. 3.*

In Lithuania potissimum Bisontes capiuntur, prægrandes feræ, magnis instructæ cornibus iisque nigris quibus equum cum sessore in sublime iactant, & mediocres arbores sternunt, Alcem veterum Poloni credunt esse. Horum autem linguae maximè vitandæ sunt, exertis enim attrahunt ad se hominem, si vel extremam vestis oram attigerint. *Cromerus lib. 1. Poloniae.*

Ibidem reperitur animal dictum *Rosomaka*, nusquam alibi: statim atque inuenit cadasuer eo se replet donec infletur ut tympanum: tum ingreditur inter duas arbores vicinas: & ita se comprimit ut omnia egerat, tum recurrit ad cadasuer, & tandiungerit, & egerit donec absumperit totum. *Mathias Michouius, vulgo à Michou, Sarmatiae lib. 2. cap. 3.*

In Lithuania campum obductum frumentis, dumis, & myricis palea obducunt; ad tempus aliquod, tum sereno cælo hæc omnia simul incendunt; terramque illam permixtam cineribus, & carbonibus arant, atque in leuiter subactam fermentem iactant, ex eaque tanta existit frumenti copia, vt fidem supereret. *Alexander Gaguinus in sua Polonia.*

In Samogitiâ serpentes adhuc quidam colunt, habentque pro Diis penatibus, si occiderint pessime multantur, vt confirmat exemplo Rustici non procul à Vilna, cui os ad aures diductum est, quia in serpentis mortem consensisset. *Alexander Gaguinus in Samogitiâ.*

Incolæ Samogitiæ tantum vomeribus ligneis ad terras subigen-das vtuntur, neque possunt impelli à præfectis, vt ferreis vtantur. Certè cùm illiusmodi ferrei inducti essent, adnitente præfecto, & sterilitas contigisset eo anno illam in vomeres ferreos reiecerunt, neque vlo pæcto vti deinceps illis voluerunt: quæ tamen omnia in vanam superstitionem meritò reiicit. *Idem Alex. Gaguinus.*

§. 6. In Russia Alba.

In Russiam Albam, seu Moschouiam plerumq; tantus calor de-sœuit, vt eo messes aliquæ comburantur. *Cardanus variar. lib. I.c. 4.*

Ibidem tanta mellis copia, vt arbores cauatæ eo plenæ reperian-tur. Certè Rusticus quidam narravit authori contigisse sibi ali-quando, quod cùm se in arborem illiusmodi cauatam demississet, vt mel colligeret ibidem ad pectus usque in melle demersus sit, duos hinc vixerit dies, & ex eâ fossâ mellea subductus sit per-vrsam, quæ cùm in eam quoque arborem mellis causâ descendis-set, eam voce adeò terruit vt posterioribus ipsum adhæresentem magno cum impetu extraxerit. *Demetrius quidam Ruthenus apud Paulum Iouium.*

Reperitur in Moschouia Zoophyton in speciem Agni ad terram adhæscentis, indigenæ nominant *Botanetz*: crescit in pratis oper-tus lanâ Agnus, pro cornibus lanae ferta gerens, succum autem partim ex terra trahit per fruticem umbilicalem, partim etiam vicinam herbam depascendo quantum vimineum vinculum errare illum finit, vbi herba defecit, exsiccatur. Carnem habet exqui-siti saporis, & à lupis magnâ auditate disquiritur. *Baro Herbestei-nus, Petreius, Antonius Possevius, & alij plerique.*

In Ducatu Bielizoro, iactu lapidis ab urbe cognomine, lacus mul-tum sulphuris reddit, quia in eum fluuius subiens spumas super-natantes effert quæ postea in sulphur concrescunt. *Alexander Ga-guinus in suâ Moschouia.*

In Vodzam Regionem illata omnia animalia natuum colorem in album mutare prohibentur. *Idem Gaguinus.*

Duina (quem male Diuidnam vocat auctor, & borealium fluuiorum maximum) augetur instar Nili, auctusque vix uno die expedito nauigio transmitti potest, porrò fertilest terras reddit, maximè ali-quas Insulas, in quibus frumentum seritur sine ope aratri: hæc